

*Seneca Retore-Controversiae-Praefatio 1-4*

Exigitis rem magis iucundam mihi quam facilem: iubetis enim quid de his declarationibus sentiam qui in aetatem meam inciderunt indicare, et si qua memoriae meae nondum elapsa

sunt ab illis dicta colligere, ut, quamvis notitiae vestrae subducti sint, tamen non credatis tantum de illis, sed et iudicetis. Est, fateor, iucundum mihi redire in antiqua studia melioresque ad annos respicere, et vobis querentibus quod tanta opinionis viros audire non potueritis detrahere temporum iniuriam. Sed cum multa iam mihi ex meis desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retudert, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit, inter ea quae rettuli memoria est, res ex omnibus animi partibus maxime delicata et fragilis, in quam primam senectus incurrit. Hanc aliquando adeo in me floruisse ut non tantum ad usum sufficeret sed in miraculum usque procederet non nego; nam et duo

milia nominum recitata quo erant ordine dicta reddebam, et ab his qui ad audiendum praeceptorem mecum convenerant singulos versus a singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum quae vellem velox mihi erat memoria, sed etiam ad continenda quae acceperat solebat bonae fidei esse: nunc et aetate quassata et longā desidiā, quae iuvenilem quoque animum dissolvit, eo perducta est ut, etiamsi potest aliquid praestare, non possit promittere. Diu ab illā nihil repetivi: nunc quia iubetis quid possit experiar et illam omni curā scrutabor. Ex parte enim bene

spero: nam quaecumque apud illam aut puer aut iuvenis deposui, quasi recentia aut modo audita sine cunctatione profert; at si qua illi intra proximos annos commisi, sic perdidit et amisit ut, etiamsi saepius ingerantur, totiens tamen tamquam nova audiam. Ita ex memoriā meā quantum vobis satis sit superest; neque enim de his me interrogatis quos ipsi audistis, sed de his qui ad vos usque non pervenerunt. Fiat quod vultis: mittatur senex in scholas. Illud necesse est inpetrem, ne me quasi certum aliquem ordinem velitis sequi in contrahendis quae mihi occurrent; necesse est enim per omnia studia mea errem et passim quid quid obvenerit adprehendam.